Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36524
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

uberiora lucra paliorum credunt institutione parare se posse etiam sua
correctione peruenit. Sunt enim qui se diuites ferunt nihil habentes et
sunt qui se hu[...]miliant in multis diuitiis; et melior est uir in ignobili
tate seruiens ma[...] sibi quam qui dignitatem sibi adquirit et indiget pane.

GERMANUS. Satis congrue nobis his comparationibus disputatio VIII.
tua illusionum nostrarum manifestauit errores quorum causas et curationes
simul et optamus agnoscere et unde nobis acciderit ista deceptio partim
cupimus edoceri. Nulli dubium est etenim nemini est admodum posse remedia
malis ualitudinibus adhibere nisi eadem ipsas morborum origines ante

ABRAHAM. Perdixerit. VIIII.
Omnium uitiorum unus fons atque principium est. sed pro qualitate uero partis
illius et ut ita dixerim membri quod in anima fuerit uitiatum. diuersa
uocabula passionum corruptionumque sortitur. Quod non numquam etiam morborum
corporalium probatur exemplo. quorum una cum sit causa in diuersa tamen
egritudinum genera pro qualitate membrorum que fuerint occupata distin
guitur. Etenim cum arcem corporis id est caput uis noxii humoris obsederit.
cefalargie perficitur passione. Cum uero aures oculosue peruaserit. in otalgi
cum siue obtalmicum uertitur morbum. Cum se ad articulos quosque et ad ma
nuum summa transfuderit. articularis atque ciragrica dicitur ualitudo.
Cum autem ad ima pedum defluxerit. podagra mutato nomine nuncupatur.
totque uocabulis una atque eadem est noxii humoris distinguitur quot mem
brorum ceperit portiones. Eodem modo de uisibilibus ad inuisibilia transe
untes animae nostrae partibus atque ut ita dixerim membris uniuscuiusque uitii
pestem inesse credamus. Quod cum sapientissimi quique tripertitam diffiniant
esse uirtutem necesse est aut ΛΟΓΙΚΟΝ id est rationabile aut ΘΙΝΥ
ΜΗΤΙΚΟΝ id est concupiscibile eius aliquo corrumpatur incursu.
Cum igitur aliquem ex his affectibus uis noxie obsederit passionis pro illius cor
ruptione etiam uitio nomen inponitur. Nam si racionabilem eius partem uitiorum
pestis infecerit. cenodoxie. elationis. inuidie. superbie. presumptionis.
contentionis. hereseos uitia procreabit. Si irascibilem uulnerauerit
sensum. furorem. inpacientiam. tristiciam. accidiam. pusillanimitatem.
crudelitatem parturit. Si concupiscibilem uulnerauerit portionem.